



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

Vita latronis monachi effecti, & postea in seculari habitu decollati. Capvt
CLXVI.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

bas Ioannes præsbyter monasterij Eunuchorum
& hæc eadem nobis ipse narrauit glorificans Deū

- 1 *Magna hebdomada etiam antiquis in obseruatione erat.*
- 2 *Vt celebrarent sanctum Resurrectionis diem.*

Vitalatronis monachi effecti, & postea in seculari habitu decollati.

C A P V T C L X V I.

Dicebat Abbas Sabbatius : Cūm sederem
in monasterio Abbatum Firmini, venit latro
quidā ad Abbatē Zosimum Cilicem, & rogabat senem dicens : Fac charitatem, per Deum te precor, quia multis homicidijs obnoxius sum. Fac me monachum, vt iam tandem desistam à sceleribus meis. Senex verò exhortans illum, fecit monachum, & sanctum ei habitum dedit. Post modicum verò temporis dixit ad illum senior : Crede mihi, fili, non potes hic habitare. Nam si audierit princeps, tenebit te. Similiter autem & aduersarij tui necabunt te. Sed audi me, & ducam te in cœnobium Abbatum Dorothei prope Gazam, & Maiumam. Illuc igitur iuit. Vbi cūm moratus esset annis nouem, didicissetq; psalterium, & cunctam monasticam obseruationem redijt rursus in Firmini monasterium. ad senem, & ait illi : Fac misericordiam mecum, pater, & da mihi vestimenta mea secularia, & recipe monastica. Senior autē tristis effectus ait illi : Cur fili ? Qui respondens ait : Ecce nouē (vt nosti, pater) annos egi in cœnobio, & quantum potui ² ieiunavi, & continenter vixi, & cū omni quiete, & timore Dei fui in subiectione, & scio quia illius infinita bonitas multa peccata mea remisit mihi. Veruntamē aspicio sepius

puerulum astantem, & dicentem mihi. Cur me occidisti? Hunc autem aspicio in somnis, & in Ecclesia, & cum ad communionem pergo, & in confectorio hæc eadem mihi dicentē; & vel vna hora non finit me quiescere. Ideo itaq; , pater abire volo, vt pro puerulo moriar. Frustra enim, & sine vlla causa occidi puerulum ipsum. Sumptis ergo vestimentis suis, exiit. Et cum sic indutus pergeret Diospolim. tentus est, & sequenti die decollatus.

1 *Vide habitum sanctum, quando de nouo quis efficitur Monachus.*

2 *Ecce bonorum Monachorum exercitia.*

Vita, & mors Abbatis Pemenis solitarij.

CAPVT CLXVII.

DICEBAT Abbas Agathonicus dux nobis castelli sancti patris nostri Sabæ. Descendi die quadam in Ruba, vt pergerem ad Abbatem Pemenem solitarium. Cum ego reperissem eum, & dixissem illi cogitationes meas serò dimisit me in vnam speluncam. Erat autem hyems. Fuit que nocte illa frigus maximum, & nimia vi algoris obrigui. Veniens ergo ad me manè senior, ait mihi: Quid est, fili? Aio ad illum. Ignosce mihi, pater, duram pertuli noctē ex frigore. Dixit autem mihi: Ego, fili, frigus nullum sensi. Miratus sum valde hoc audiens. Erat quippe nudus. Et dixi ad eum: Fac charitatem, quomodo tantam frigoris asperitatem non sensisti. Dixit autem mihi: Venit leo, & obdormiuit iuxta me, & ipse me calefecit. Veruntamen dicitur tibi, frater, quoniam à feris deuorandus sum. Aio ad illum: Cur quæso? Et dixit mihi: In provincia nostra cum essem (erant autem ambo Galatæ) pastor ouium eram, & contempsi transirem
pere